IN RESTITUTAM REGI VALETUDINEM,

Cùm Vir Clarissimus CAROLUS LE BEAU, Rhetorices Professor in Grassinæo, jussu & nomine Universitatis Parisiensis, REGEM è gravissimo morbo restitutum GALLIS Publicâ Oratione gratularetur.

ECLOGA.



IN RESTITUTAM REGI VALETUDINEM,

Cùm Vir Clariſſimus CAROLUS LE BEAU, Rhetorices Profeſſor in Graſſinæo, juſſu & nomine Univerſitatis Pariſienſis, REGEM è graviſſimo morbo reſtitutum GALLIS Publicâ Oratione gratularetur.

ECLOGA.

CORYDON & TITYRUS.

CORYDON.



TANDEM crede mihi ; quem totis flevimus agris ,
Tityre, quem miſeras nimiùm cita Fama per urbes
Dixerat ereptum , vitali redditus auræ
Spirat noſter amor ; LODOICI floret in ore
Læta ſalus, reduceſque vigent in corpore vires.

TITYRUS.

O quàm faustus ades mihi nuncius! ô tibi grates
Quas referam, Corydon! sitienti gratior herbæ
Non ros manè cadit: non Euro & fluctibus actos
Sic placido Zephyrus post fulgura flamine mulcet;
Ut vox sollicitas dulcis tua currit ad aures.
Vivit io! Noster LODOIX, salvoque videri
Salvus amat Populo! Jam curâ solvimur omni:
Tædia cuncta procul; gelidi procul ite timores.

CORYDON.

Hunc ego vidi oculis, hunc sedibus excita vidit
Gallia tota suis. * Animo quod nec capit hostis,
Testis & ipse licet; LODOICO plaudere salvo
Non timet hostili jam noster Civis in arce.
Quàm dolor exanimi se PRINCIPE prodidit audax,
Libera tàm vivo se PRINCIPE gaudia produnt.
Vix ille audierat, Metas petit agmine longo;
Non retinet Miles, portas qui servat in armis;
Non quæ tergeminis claudunt munimina fossis.

TITYRUS.

Ut facili Gentem LODOIX sibi marte reposcat!
Quæ fidum retinet malèfidis pectus in oris.

* Ut Luxemburgi auditum fuit REGEM reviviscere Metas plurimi Cives petierunt, oculis saltem restitutam ipsi Valetudinem gratulaturi.

CORYDON.

At non incolumi lætatur Rege Moſella
Unicus. Illum etiam Patriis excepit in ulnis
Sequana, nuncque fovet, reficitque ſalubribus undis.
Grata quot in celebri præbet ſpectacula ripâ
Cum Populo gaudens ſtudio contendere Princeps!
Hinc Gallos recreat dulcis quæ temperat aura
Regales radios; Regem rapit inclytus illinc
Gentis amor, vitam quæ Principe ponit in uno.
Hîc blandos vultus, Majeſtatemque ſerenam
Cernere jam poteris tanti in ſolatia luctûs.

TITYRUS.

Hoc equidem, Famâ dudùm volitante per orbem,
Audieram: dubiis ſed quæ fiducia verbis
Eſſe poteſt? Quando falſi nos funeris horror
Jam penè enecuit. Mollis ſi fortè capella
Dente lupi eripitur, non immemor illa pericli
Continuò ſolitas quæret, loca devia, rupes:
Tempore ſed pavitans aliquo Paſtoris ab umbrâ
Diſceſſiſſe cavet, turbatque minantis imago
Sæva feræ. Quid ego ſimili cum ſorte premebar
Ingratum triſti meditarer arundine carmen?
Non itâ, blande puer, magnos in gaudia luctus
Vertere promptus amor; ſecurus corde ſub imo

Nunc & adhuc trepidat. Cantus prævertere noſtros
Plaudat hic, ille ſibi : prior in diſcrimine Patris
Natus inhorreſcit, ſalvum canit ultimus, ipſis
Vix fidens oculis. LODOICUM vivere dicam?
Hunc niſi Miles Ypras videat ſibi tundere bombâ,
Hunc niſi jus civis videat ſibi pendere lance.
Vidiſti, Corydon, tali pro munere noſtris
Quæ ſat digna Deo mactabitur hoſtia templis!
Quis non hîc pronus præſens ſibi numen adoret!

CORYDON.

Sic eſt; dextra Dei tantam tulit una ſalutem.
Quin liquiſſe polum ſuperos, advectaque ſecum
Sidera tu credas totam ſparſiſſe per urbem.
Nunquam tot nitido vidiſti lumina cœlo,
Quot nova fulſerunt redivivi nuncia REGIS.
Innumeris medios ſtellis luceſcere ſoles
Certatimque pari flammarum turbine volvi
Urbs ſtupet & priſcos, jam non ſibi cognita, vultus:
Fruſtrà per plateas, vicos, fonteſve requirit.
* Omnia mutârunt feſtivâ lampade formam.
Igne velut ſolido centum ſuffulta columnis
Surgunt magnifico ſpectanda Palatia ritu;
Ridentque in faculis flores imitantibus horti.

* Illumination & Feu de Monſieur le Contrôleur Général à Berci.

Ipſe ſuis lepidos ſociat cum fluctibus ignes
Sequana, & illæſos variâ ſub imagine reddit;
Ejicit in ſaltum, vitreum demittit in imbrem,
Imbrem vocali, VIVAT REX, rore canentem;
Explicat in mappas, diverſos ducit in arcus,
Gemmea pavonis rotat in miracula caudæ.
Ignea colludit tremulas Anguilla per undas.
* Lucius hinc, illinc ruit in certamina Sulmo.
Circùm mille jocis mergunt ſe in flumine piſces,
Incaſſumque lavant flammis hærentibus alas.

TITYRUS.

Jam ſcio quid noſtros tam longa crepuſcula campos
Exhilarent, rerumque novo velut ordine, noctem
Invitis præeat conſtans aurora tenebris.

CORYDON.

Sed quo thure calent, quàm multâ luce coruſcant,
Et benè diſſimili reſonant quo carmine templa!
Venerat hùc nuper pallæ ſub tegmine nigro
Turba ſenum, juvenumque & flens cum matre puella,
Ruſticus urbano, dives confuſus egeno,
Corpora projecti, noctùque diùque precantes,
Sacras amplexi, quas tingunt fletibus, aras;
Proh! Deus alme, rogant, miſeros en fulmine quanto

* Brochet.

Perdere vis Gallos! propria Rex *victima gentis*
Ergo cadet! quas, ah! tanto discrimine nobis
Servat, opes rape: perjuro largire vel hosti.
Regem *redde unum*; Rex *nos ditaverit unus.*
Venerat & Miles sua nudans pectora; *cerne*
Hæc, ait, *hæc Patriâ curavit vulnera dextrâ*,
Quem repeto, LODOIX: quotquot mihi rettulit annos
Huic transmitte, Deus, sic annos mille resignem.
Audiit hæc Regum Dominus, jam quot bona fundit!
Ut vivit LODOIX, ut Rhenum transnatat hostis;
Sunt & opes tutò, revocatis viribus arma
Lætus sumit Eques, quassatæ culmina ponunt
Arces Allobrogum, Friburgia mœnia, pulvis.
Sic immensa priùs paribus nunc plausibus æquant
Vota piæ grates, sic voces tempore quovis
Implent innumeræ sacras concentibus ædes;
Sic quoque perpetuo geminus fit lumine mensis
Una dies; nigris quam tangere nox timet umbris.

TITYRUS.

Pulchra dies! surgat nunquam tibi Vesper Olympo:
At mihi tu quantus tanto, Rex, surgis ab ictu!
O mihi quàm felix! demessas Belgica lauros
Castra canant, sola hæc te Metis digna manebat
Quam solus de morte refers: dum projicit ungues

Impia ferratos, caput invaſura ſacratum ;
Tu ſtas mente tuâ, ſtygiis nec territus umbris
Sceptra Deo, Populos, Sobolem, Sponſamque reponis,
Majores meditans ipsâ ſub falce triumphos.

CORYDON.

Tu quoque, tu felix lacrymis quæ, GALLIA, noſti,
Quam tibi ſollicitum PRINCEPS tuus afflet amorem.

TITYRUS.

Ergo lætitiæ noſtros permittere ſenſus
Fas erit : ipſa jubet Cœlo demiſſa ſereno
Hùc illùc manibus diffundens gaudia plenis.
O vos, dulce pecus, noſtris qui fletibus, agni
Teſtes adgemitis, tanta & ſolatia mecum
Carpite, Paſtorique leves applaudite veſtro.
Ampliùs haud mecum ſolâ ſub rupe jacentes
Balatu miſeros luctus iterabitis ægro.
Sed dum læta meis reſonabit cantibus Echo,
REGIS & invicti nomen ſuper æthera tollet :
Aut alacres mollem paſcetis graminis herbam,
Aut Saturi gelidâ frigus captabitis umbrâ.
Ite igitur tutos per montes, ite luporum
Securi ; teneris nec parcite floribus ; ultrò
Naſcentur flores : en vere feracior arvis
Arridet LODOIX, Lodoicis laudibus omne

Perſonet uſque nemus , blandis hunc uſque ſalutent
Vocibus argutæ volucres , hunc æmula vallis,
Hunc etiam leni tenuis vocet unda ſuſurro.

CORYDON.

Et vos qui reducem feſto me carmine circùm
Excipitis, vario redimiti tempora flore
Paſtores, choreas cum caſtis plaudite Nymphis:
Vina fluant calathis , rivo lac ubere manet;
Pomaque ſylveſtres onerent fragrantia menſas:
Neu modus: Autumni ſociabit munera vernis
Muneribus LODOIX; roſeos ut campus odores
Spirabit, rubeum ſimul induet uva colorem;
Nec longùm: hæc alii renovabunt gaudia ludi.

CHRISTIANUS LE ROY , Sedanæus,
Rhetorices Profeſſor in Cardinalitio.

Cum permiſſu. Die 28 Novembris, anno 1744.
FEYDEAU DE MARVILLE.

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS Typographi, in Plateâ Cameracenſi.

Regia Pannorum Fabrica, Sedani jussu LUDOVICI XIV erecta, eximiisque donata prærogativis, & in iisdem à LUDOVICO Regnante confirmata,

Cùm acceptam ex restitutâ REGI BENEFICO *Valetudine lætitiam festis ignibus, diurno nocturnoque tormentorum tonitru, repetito catapultarum per immensa totius Urbis munimenta dispositarum crepitu, pyrrhico bellicæ Juventutis tripudio, concentu Civium omnium unanimi, cæterisque amoris, quâ potissimùm viâ erumperet, anxii speciminibus testata fuerit, dolens hæc omnia gaudiorum signa ad quindecim aut viginti dies tantùm continuari potuisse, voluit, ne tam fausti eventûs senesceret recordatio, voces illas animorum interpretes fronti Ædium suarum incidi duraturas in perpetuum, quippe quæ eo sint incisæ monumento, quod cùm sub tanti* REGIS *tutelâ floreat, in perpetuum sit duraturum.*

INSCRIPTIO.

DEO IMMORTALI PERENNE SACRUM
Ob restitutam
LUDOVICO XV Artium & Commercii Restauratori
Valetudinem,
Cujus in periculo
Sensit quod hactenùs nondum senserat
Regum licet suorum suprà Gentes cæteras
Amans Gallia.
Viderat heu!
Dum strenuus ad fines tuendos volat
Sui penè enectum caritate Patrem.
Quo reddito
Reddita jacentibus ac funeratis propè

915.

Ictu tanto Populis
Securitas & felicitas.
Cujus necdum redintegratis viribus,
Qui jam nostro exultabant malo,
Latrociniis superbiebant suis.
Ultrà Rhenum fugati Barbari.
Liberata Alsatia.
Ad cujus invictum triumphatoris nomen stupent
Torpent in Belgio
Anglorum, Batavorum, Hannoviorum
In unum
Frustrà conjurati exercitus.
Patent Gallis Alpes perviæ,
Dejectus superbis arcibus fugit Allobrox.
Regia cujus munificentia & pietas
Furnas, Meninam, Ypras
Suas amore fecerat priùs
Quàm armis subegerat victoria.
Talem nobis servatum à Deo REGEM discite,
Credite posteri.
Talis & beneficii,
Unde salus & omnis defluit faustitas,
Depulsa calamitate maximâ,
Servatam memoriam
A REGIA PANNORUM FABRICA SEDANENSI
Amate,
Nostræque sorti plaudite.

CHRISTIANO LE ROY, Sedanæo,
in Universit. Paris. Rhetorices Professori,
afflabat amor Patriæ.